

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 6821

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Angers, Le Ronceray (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1160

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Accord conclu par les soins du roi Henri entre deux chapelains de l'église Notre-Dame de la Charité d'Angers (le Roncerai) et l'abbesse et le sacristain de cette église.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CXXXVI, t. 1, p. 244-245.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 244.

Texte établi d'après a

Universis sancte Dei ecclesie filiis pateat controversiam fuisse inter sanctimoniales Beate Marie Andegavensis et sacristam ejusdem ecclesie, qui unum sunt, et duos capellanos predictae ecclesie, Enchenoldum scilicet et Zachariam, super missa pro defunctis celebrata, id est Requiem eternam, et oblatione que in die Pasche ad corpus Domini offertur, que predicti duo capellani sua esse dicebant, sanctimoniales vero et sacrista hec ad jus suum pertinere affirmabant, super quibus pluribus in locis multotiens altercatum est nec diffinitum. Tandem vero, cum ad noticiam Henrici regis Anglie et ducis Normannorum et Aquitanorum, comitis vero Andegavorum et Nannetensium, hec altercatio pervenisset, quia ecclesia Beate Marie Andegavensis de jure suo erat et elemosina, utramque partem ante suam presentiam apud Cainonum castrum, domno Joscio Turonensi, Matheo Andegavensi, Laurentio Pictavensi, Johanne Petragoricensi episcopo presentibus et Gosleno dapifero et multis baronibus, jussit presentari. Quibus coram suis et rationibus hinc et inde auditis, habito cum Turonensi archiepiscopo et prenominationis episcopis et baronibus et Gosleno dapifero consilio, hanc inter moniales et sacristam et duos capellanos Engenoldum et Zachariam statuit concordiam, ut sepe nominati duo capellani Engenoldus et Zacharias oblationem, ad Requiem eternam propriis duobus capellanis oblatam, vita comite haberent, omnes vero ceterae oblationes ad jus ecclesie Sancte Marie et sanctimonialium redigerentur. Quod cum utrimque concessum fuisset, statuit idem rex Henricus et jussit in perpetuum teneri quod cum duo capellani Engenoldus et Zacharias, qui tunc superstites erant, et quatuor canonici, Mainardus, Guillelmus, Radulfus et Guido, viam universe carnis intrarent, abbatissa Sancte Marie et sanctimoniales licenciam haberent ordinandi ecclesiam suam et servitores mittendi in ea quot vellent et ad quantum redditum eidem abbatisse et sanctimonialibus placeret, ad honorem tamen ecclesie et utilitatem. His ita [factis], tres canonici, Mainardus, Guillelmus et Radulfus, qui presentes aderant, et duo capellani

Engenoldus et Zacharias fidelitatem ecclesie Beate Marie et sanctimonialium, jussu ejusdem regis Henrici, super sacrosanctum evangelium juraverunt ante corpus et altare Beati Maximi, salvo in omnibus jure ecclesie Beate Marie et sanctimonialium. Precepit etiam rex Henricus ut quartus canonicus qui aberat, Guido scilicet, hanc eandem fidelitatem juraret.

Actum est hoc anno ab incarnatione Domini MCLX°, regnante Henrico rege in Anglia, duce Normannorum et Aquitanorum, comite vero Andegavensium et Nannetensium, qui hanc cartam attestatione sigilli sui precepit muniri, et quorum nomina subscribuntur adhiberi: Joscius Turonensis archiepiscopus, Matheus Andegavensis episcopus, Laurentius Pictavensis episcopus, Johannes Petragoricensis electus, Tuonus Turonensis archidiaconus, Stephanus Andegavensis archidiaconus, Goslenus dapifer, Simon de Castellione et magister Meschinus, et alii plures.